

Bibliothèque numérique

medic@

**Poissonnier, Pierre-Isaac - candidat /
Bourdeline, Louis-Claude - président. -
An Pulmonum etiam in morbis suis
sit Kinæ-Kinæ locus ?**

1744.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2329 n°207***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax08x0207



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimā-
tertiā mensis Februarii, anno Domini M.DCC.XLIV.*

M. LUDOVICO-CLAUDIO BOURDELIN,
Antiquo Facultatis Decano, Regiæ Scientiarum Academiæ
Socio, Chimix in Horto Regio Professore, nec non Chi-
rurgiæ Professore designato, Doctore Medico, Præside.

An Pulmonum etiam in morbis suis sit Kinæ-Kinæ locus?

I.



AREM narraret somnio fabulam, si quis uno quolibet remedio unum duntaxat morbum sanari posse affirmaret. Nec de morborum causis medicamentorumque viribus rectè sentiret, qui ab uno eodemque medicamine, nullius non invaletudinis expectaret curationem. Omnibus scilicet morbis, quibus laborat humana gens, eadem non est causa; at nec singulis tamen diversa semper suppetit. Quàm igitur absurdum, immò temerarium est, agrotationum genus omne iisdem armis debellare aggredi, tam est ridiculum singulas propriis tantum & pe-

A

culiaribus profligare velle. Pluribus sæpe, nunquam omnibus morbis eadem suffecit medicina. Quid mirum autem si compluribus persanandis affectibus par medendi ratio conveniat? Sunt inter morbos plurimi, quos specie magis formæque, quam re & naturâ discriminari, expertus quilibet fateatur. Quorum multis si larvam detraxeris, eandem agnoveris superesse personam. Quid ita? Morbi sæpe non tam causâ quam symptomatis inter se discrepant. Symptomata, ut plurimum, nihil indicant, nisi læsas laborantium partium functiones. En duos ægros quorum hic Plevritide angitur, torquetur ille Nephritide. Eadem utrique morbo sæpe causa est: quæ autem, ut dolorum in utroque ægro, sic in morbo utroque symptomatum diversitas? Non aliundè tamen repetenda, quam à diversis plevræ renumque naturâ & functionibus. Qui nimirum coriaceâ turgidus lymphâ sanguis plevræ vicinasque plevræ partes inflammat, idem, si ad renes irruerit, inibi que moram, datâ quâlibet occasione traxerit, eos non dispare deuret incendio. Vides, in discrepantibus morbis, parem causam, dissimilia omnino symptomata. Qui igitur plevræ valis impactus humor, continuam febrem, acutum pungentemque lateris dolorem, tussim ferè perpetuam, difficilemque adeò facit respiracionem, ut spirandi propè metum inferat, idem, sanguiferis renum tubulis cuneatus infususque, non solum dolorem ardentissimum, non continuam tantum febrem, familiarem inflammationis cujuslibet comitatum, sed imminutâ tum secernendâ tum excernendâ urinæ, colorationis modò, modò decoloris, copiâ, consentientis cum rene, & illius malum participantis ventriculi languorem, ructum, nauseam, bibiosum vomitum & alia accersit symptomata, quæ languentem læsamque renis functionem indicant. An idcirco tamen curationem diversam ii morbi expostulant, quod diversis se signis faciant manifestos? Minimè gentium. An non utrique huic morbo eadem remedia opem ferunt, phlebotomia, diluentia, emollientia, oleosa, narcotica etiam, quam serò & cautè, tam opportunè & feliciter collocanda? An non etiam in utroque morbo, par imminet à præmaturâ purgatione periculum? Est contra ubi similes externâ facie, primoque aspectu, morbi, causâ autem *genioque* immane quantum dissimiles, curationis paritatem omnino respuant. Sint in exemplum tres illæ Colicæ species quarum hanc vocant Biliosam, utrique sexui communem, illam Plumbeam nominant, plumbariis artificibus quàm frequentem, tam funestam, tertiam demum, sceminis peculiarem, Hystericam nuncupant, ab immortalis apud Medicos memoriæ Sydenhamio ad verum expressam primùm, primùm etiam congruâ & breviori methodo curatam sanatamque. Easdem, non rarò, partes obsidet triplex hæc pestis; in easdem sæpe partes acerbissimi doloris cruciatibus defævit; ex eadem sæpe parte, stomacho videlicet, viridium humorum eluviem, enormibus suprà fidem vomitibus eliminat. Quàm dispar tamen triplicis hujus colici doloris curatio! Biliosam Colicam iteratâ venæ sectione, largo diluentium infra supràque adhibitorum, mitiorumque deinde purgationum, usu sanaveris. Plumbeam Colicam, frustra usurpatâ & nihil proficiente horum remediorum inermi blanditiâ & mollitudine, drasticonum purgantium, vomitoriorumque medicaminum, & è colocynthide paratorum clysterum *mochlicâ* vi, intercalato tamen anodynorum solamine, citò tutòque sanaveris. Colicam hystericam efficaci hoc purgandi genere exasperaveris, soloque opio in principiis exhibito, totam impleveris curationis paginam. Sic inter se dissentiant aliquando symptomatis, qui causis consentiunt affectus: sic facie similes, moribus sæpe differunt morbi, fictoque & simulato vultu fallunt incautos. Vis tibi non imponat morbus? Respice quidem symptomata, sedulus autem attende ad causam: & quod remedii genus hæc poscere videbitur, id confidenter adhibe, popularis æquè securus auræ, ac vacuus vulgi præjudiciorum. Quorsum autem hæc, inquires; ut scilicet iis in morbis, in quibus eo-

dem vitio laborat sanguis, eadem ægris remedia porrigere aliquando non dubites. Porro ea est affectuum Pulmonis plurimorum indoles, ut à frequentissimâ & maximè solemni morborum causâ, sanguinis videlicet humorumque lentore ac spissitudine pendeant.

I I.

PLETHORÆ, & à plethorâ oriundæ humorum spissitudini pulmonem præ cæteris corporis partibus patere, ipsius structura indicat. Idem evincit morborum, quibus viscus illud obnoxium est, natura. Pulmonem ita fabrefecit summus opifex ut & sibi, & corpori reliquo provideret. Qui toti corpori fovendo & refarciendo impendi debet sanguis, totus ille in pulmonis officinâ miscetur, cuditur, elaboratur, paratur ad nutritionem. Pulmonis autem ministerio id officii exequenti Naturæ, quàm numerosi se offerunt obices, quàm multiplex indiligentiæ & tarditatis occasio! Sive enim organi vasorum multitudinem, angulos, curvaturas, anfractus exilitatemque spectes, & vesiculæ cujuscumque superficiem coronans, capillaremque æmulantibus tenuitatem arteriis & venis intextum, rete, sive liquoris, à cordis anthliâ recentis crudique adhuc, parùm subactam molem, concretioni pronam, & per eos tamén capillaceos vasorum ductus atque circuitus, à pulmonis officinâ ad cordis alveum deferendam, fatebere pulmonem, si quam aliam corporis partem, confectariis Plethoræ malis esse patentissimum. His Plethoræ spissitudinisque occasionibus, quas offert pulmonis structura, fovet sanguinis ad eum delati indoles, arceat tamen aeris gravis & *elastici* beneficium, si addideris ejusdem aeris, quolibet peccantis excessu vel defectu, pravas qualitates ineluctabili necessitate in visceris delicatissimi texturam impingere, pulmonis fabricam tandiu perstare incolumem mirabere. Jam autem quid indicant, qui pulmonem affligunt familiariter, morbi, nisi oppletum spissiore sanguine & lymphâ tenaciore viscus nobilissimum? Quid arguit, Asthmatis illa species cui humidi nomen Medici indidère, nisi distentos sanguine redundanti, infarctosque glutinosiore lymphâ pulmones? Quid demonstrat, frequens adeo hystericiis mulieribus virisque hypochondriacis Dyspnœæ species, tardanti vel exhausto menstruorum, hæmorrhoidumve fluxui, ut plurimum, succedere solita, nisi gementem sub copiosioris spissiorisque sanguinis sarcinâ & pondere pulmonis compagem? In Peripneumoniâ, quis, si non corporis totius, at particularem saltém pulmonis plethoram, ejusdemque ingurgitationem non agnoverit? Quis, vel inspectis tantummodo ægri, hoc laborantis morbo, sputis sanguine lymphâque commixtis, & lintea glutine tenaci indurantibus, humoris utriusque redundantiam & tenacitatem, ac proinde spissitudinem, non intellexerit? Ac, ne universam pulmonis morborum familiam recenseamus, Hæmoptysis, quam à sputo cruento, scrupulosius forsitan quàm veriùs, non infimæ tamen notæ scriptores Medici distinxere, unde oritur ut plurimum nisi ab exuperante crassioris sanguinis copiâ, è distentis nimio cruore, tantoque oneri sustinendo imparibus, & tandem disruptis pulmonum vasis erumpente. Rem ita se habere testatur ipsa Hæmoptysis, suppressæ solemni alicui evacuationi sanguineæ superstes, aut imminentis ejusdem, instantisque in limine prænuntia. Sic puellis menstrua diutiùs frustra expectantibus, non infrequens est Hæmoptysis; sic, maturiùs æquo cessantem, eandem menstruam purgationem, idem interdum excipit morbus. Qui lege pari, nec dispare periculo, viros etiam exercet, post suppressas, quæ statis temporibus, nec raro uno quoque mense, fluere antea solebant, Hæmorrhoides: maximè, si salutarem hunc effluxum, & ideo necessarium, quia assuetum, uberius aliquod aliud vicariumque effluvium non suppleverit. Porro sive non erumpentis, sive siccati duplicis hujus effluvi, ut effectus est sanguinis ad pulmonum vasa regurgitantis impetus, ac per disrupta

A ij

eadem prorumpens Hæmoptysis, sic causam illius persæpe esse purpurei laticis diathesim crassiorem, nemo est qui non fateatur. Nec enim, nisi sistendo, vasa per-rumpit redundans cruor, nec sistit, ruptor vasorum, sanguis, nisi factus spissior; conspirante præsertim ad id negotii, manumque ut ita dicam præbente, nimia va-sorum laxitate.

III.

HUIC sanguinis humorumque vitio, ac proinde frequentissima Pulmonis, ut & reli-qui corporis, morborum causæ occurrere vis & mederi? Ea selige Medicamina quæ humoribus fluiditatem & obsequentiam, vasis vigorem roburque restituant. Hujus ef-ficaciæ plurima in attenuantium medicamentorum classe reperias. Quæ inter non ulti-mo loco sedet Kina Kina, novi orbis fœtus dicam an munus, ac si beneficentissimi corticis usum multiplicem spectes, Americano auro longè pretiosior thesaurus. In re medicâ peregrinus esset qui febri tantummodo curandæ corticem Peruvianum con-venire existimaret. In eâ videlicet, morborum iliade quibus torquentur miseri morta-les, promptius expedieris, quos non sanet, quàm quibus medeatur. Paucos enim repe-rias quorum in decursu usurpari non possit feliciter, pauciores quibus inutilis omnino sit, paucissimos quorum curationi adversetur. Exceptis Febribus ardentibus, iisque, in quibus sanguis acrior solutiorque densari potius & compesci, quàm attenuari & moveri expostulat, vix ullæ sunt, quibus in curandis, vel *febrisfugi*, vel alterantis, vel diaphoretici remedii nomine, opem non ferat. His tamen angustis adeo non clau-ditur limitibus beneficentissimi corticis efficacia, quæ pluribus aliis multiformibus que morbis non infeliciter potest adhiberi. Laborat etenim crudis glutinosisque hu-moribus ventriculus? Ructu flatuque distenditur? Uritur acoribus? Habes in discu-tiente Kinâ Kinâ crudorum coctorem, contritorem glutinosorum, expulso rem fla-tuum, acidorum domitorem. Laxior imbecilliorque stomachus ingesta alimenta vix verfat, nedum terat? Habes in astrictoriâ Kinæ Kinæ vi, unde visceris fibras laxiores tendas, infirmas robores, languentes excitare valeas. Uteri vasa distendente tantum, nondum referante tardo pigroque sanguine, lentam febrem, Picam, mille morbos patitur, pallet, adulta jam virgo, nuptisque, fluerent menses, matura? Cessantibus repentè *Catamenii* languet mulier hysterica, omnium fere morborum larvis monstros-que terretur & torquetur? Habebunt ambæ in Kinæ Kinæ attenuante, sanguinemque rarefaciente virtute, & præsentibus malis remedium, & fortè recrudescentibus reci-divisque Antidotum. Jam & Cachexiæ, multiplicis sæpe Hydropis quàm fœcundæ tam formidandæ parenti, præoccupandæ vel sanandæ utilissimum esse Peruvianum corticem soli nesciunt, qui Cachexiæ causam in primis, ut aiunt, viis, chylique in-digesti, & ad partium corporis nutritionem inepti crassitudine sæpe quærendam esse ignorant. Scorbutum non tam morbum unum esse, quàm in unius ægri perniciem coeuntium conspirantiumque morborum *Syndrômen* verè dixeris: at emendatis tamen chyli cruditatibus, corroboratis digestionis organis, subactò defæcatoque impuro & grumescenti scorbuticorum sanguine, extirpatis, quæ Scorbutum comitari solent va-riis febribus, funditusque deletis innumeris aliis pessimi morbi symptomatis, in de-bellandâ centicipe Scorbuti belluâ, opem sæpe tulit Kina Kina præsentissimam. Et quasi parùm esset, adversus tot mala proficuum esse corticem Peruvianum, en emo-rientes Gangrænâ artus, salutiferi medicaminis præsidio, sanitati redditi, reviviscunt. En potentissimi remedii imperio parent, jugumque aliquando subeunt & ipsæ Va-riolæ, doli & fallaciæ plenum infidumque pestis genus, & Matribus propè nescias, an Medicis magis detestatæ. Quidni autem adversus Pulmonum morbos ab humorum crassitudine oriundos efficax esset cortex Peruvianus, qui tot sanguini, in aliis corporis partibus spissitudine & morâ peccanti, importat bona.

PULMONIBUS infensum esse corticem Peruvianum vetus est, & ipsi prope cœcæ cortici querela. Hoc clamant optimates, garrit plebs, effutiunt clinicæ mulierculæ, & nisi medicus, nemo fere quasi è tripode non pronuntiat. Si de fumendo Kina Kina agitur, debilem pulmonum compagem excusat ille, hic medicaminis igneam vim incusat, stypticam iste Kina Kina virtutem damnat, noxiam delicatula pulmonum fabricæ acrimoniam alius criminatur: atque dum infanti medicamini diversa diversi quàm falsò, tam injuriâ, exprobrant, in eo ferè consentiunt omnes, ut saluberrimum, plurimisque debellandis morbis convenientissimum, remedium tantum non abominentur. Posito tamen rectè calculo, non adeò formidandum esse corticem Peruvianum, & in eo vituperando atque infamando judicii minus, quàm præjudicii, plusque insanix quàm rationis esse reperias. Iis enim, quæ diximus, præstandis, minuendæ nimirum sanguinis & humorum spissitudini, ac proindè levandis sanandisque, indè pendentibus, pulmonum plurimis morbis, aptissimum esse corticem Peruvianum probant rectè intellecta hujus medicaminis nativa compositio, & ejusdem in viventis animalis sanguinem actio & effectus. Quæ considerationem merentur componentes Kinam Kinam partes, tres precipuæ sunt; Salina, quæ acidæ indolis, Resinosa, & Terreæ, quæ styptica astringensque est. Has ita sapienter inter se mixtas voluit providus medicamentorum dispensator Deus, ut alteram altera temperaret. Resinosæ partis acrimoniam caliditatemque mitigat & demulcet Acidi refrigerantis societas. Terreæ stypticæque portionis rigiditatem non tam infringit, quàm obscurat quodammodo & emollit Resinæ, oleosum & exile, rarumque adeò velamen, ut per tenuissimam illius texturam pateat adhuc astringenti Terræ, sed obtusior molliorque, in fibram nerveam, impressio. Ex iis sic se invicem temperantibus, partibus, conflatur totum, nec aciditate, nec acrimoniâ, nec astringente austeritate metuendum. Partis resinosa officium est, sanguinem attenuare, dividere, concitare. Illud enim habet cum omnibus ferè amaris medicaminibus, amarus ipse, cortex Peruvianus, quod rarefacti sanguinis momentum intendat, pigro tardoque eidem latici, minimis in vasis & à corde remotissimis hærenti & quasi torpenti, calcar addat. At nec otiosa interim est styptica astringensque Kina Kina Terra; Quæ, quantum sanguini, ab oleoso principio, accedit rarefactiæ, tantum vasis, hac sanguinis rarefactione dilatatis & expansis, roboris elastici viriumque impertit ad resiliendum. Quid valeat ad attenuandum sanguinem, promovendumque ejus circuitum Kina Kina, testis est, hujus ope corticis, sanata quælibet Febris intermittens. Febris Causam, Paroxysmos & Periodos non aliunde rectius, quàm à spissioris sanguinis, in capillacea vasa, dato certo temporis spatio, congesti copiâ deduxeris. Qui morbus corticis Peruviani efficacix cum cedat, sanguinis lentorem ab hoc, certissimo omnium, *Febrisfugo* emendari palam est. Nec reconditæ in Kinâ Kinâ attenuantis virtutis luculentissimum testimonium non præbet, in promovendo mensium fluxu, inter medicos nemini non hodie cognita, corticis hujus efficacia. De Kina Kina astringente vi qui dubitat, meminerit ille, quæ sit hujus corticis in confirmandis stomachi fibris potentia. Hanc non ignorant Gurgites illi, suoquenati abdomini Helluones, quî, quò liberalius cœnent & impunius, epulis mox opplendum ingurgitandumque ventriculum, stomachici hujus medicaminis subsidio, licet valentes sanique, nec frustra, solent fulcire. At forsan id beneficii Kina Kina caliditati potius, quàm astringenti *tonica*que ejusdem virtuti, imputaveris. Quid? Si ortas à ventriculi intestinorumque laxioribus & imbecillioribus fibris Diarrhœas, quarum scaturiginem nec exhauserat Ippecacuannha, nec interceperat Sima Rouba, nec Absorbentia siccaverant, nec Opio foeta, calida quæ & Diaphoretica medicamina

in perspirationis sudorisque organa derivare potuerant, soli cortici Peruviano celsisse memoraverimus. An hanc etiam sanationem *Kinæ Kinæ* caliditati tantum ascripseris? An hoc in opere partem aliquam, imò & maximam, stypticæ medicaminis Terræ tribuendam esse non fatebere? De acido *Kinæ Kinæ* sale, atque an illud nitrosæ indolis sit an vitriolicæ, an salis marini naturam æmuletur, nihil habemus certi, quod pronuntiare audeamus. Quod enim medicamentum *Kinæ Kinæ* Sal Essentiale nuncupant & hoc titulo divendunt, illud non tam est Sal, quàm *Kinæ Kinæ* Extractum, in quo, si ponderis ratio habeatur, Sal primas, medias Refina, ultimas Terra occupat. Cæterum, mixtorum simul horum trium *Kinæ Kinæ* principiorum, unitisque viribus in sanguinem agentium, ope atque beneficio, sanguini torpido mobilitas, crasso tenuitas, lento fluiditas accedit. Cui stabiliendæ veritati si non suffecerint quæ ad ejus assertionem attulimus, petita è morborum, *Kinâ Kinâ* sanari solitorum, naturâ, desumptaque è principiis ipsum corticem componentibus, argumenta, fidem vel invitis, speramus equidem, sensuum testimonium extorquebit. Nec eas à cortice Peruviano in sanguinem inferri dubitabunt alterationes, quas diximus, ac mutationes, qui à corticis Peruviani decocto sanguinis humani serum in fluorem redigi, à vino, cui cortex idem ad saturitatem infusus fuerit, summam sanguini canino, ex arteriâ recenter extracto, fluiditatem & elegantissimum colorem conciliari, ab injecto demum, in jugularem canis venam, forti corticis Peruviani decocto sanguinem ita immutari viderit, ut ex apertis ejusdem animalis, altero post mortem die, venis, non concretus, non ater, non spissus, sed rutilantior, liquidior, & ultra naturalem statum rarus effluerit.

V.

SED esto, inquires, sua concedatur *Kinæ Kinæ* in attenuando sanguine potentia; sua superfit, febrium certissimo debellatori, cortici vis astrictoria; Quid est tamen his virtutibus, cum illis quos recensuisti Pulmonum morbis? An non *Kinæ Kinæ* astrictoriâ & pungente virtute Asthmatici Dyspnœa exasperabitur? An non, vellitatis Pulmonum fibris, Pulmonarii Tussis sæviet importunius? An non in Peripneumoniâ, distendenti jam plethorico spissoque sanguini pulmonum vasa, si contingat insuper, ab assumpto cortice Peruviano, rarefcentia, certo certius augebitur inflammatio, symptomata exacerbabuntur, ruentque omnia in pejus? An non, rarefacto, à *Kinæ Kinæ* resinosâ portione, motuque donato citatiore, sanguine, atque hinc latius dehiscenibus, quæ rimas tantum duxerant, Pulmonum vasis, sanguinem pleno gutture eructabit, qui prius cruorem filatim tantum extulsiabat Hæmoptycus? Non carent, quidem pondere hæc argumenta; nec tamen id sunt autoritatis ut iis, hypothesein nostram perimi sentiamus, aut fateamur. Atque, ut singula breviter perstringamus, Asthmatis quidem curationem solo cortice Peruviano absolvi posse, non adeo deliramus, ut speremus. Sufficit nobis, si humido Asthmati non noceat: immò satis est, si emendato per Kinam Kinam chylo, cruditatibus in sanguine, in humoribus, lymphæque præsertim spissitudinis, quod sane nullus negaverit, occasio præcaveatur. Huic enim curandæ Dyspnœæ, quæ non à vitio pulmonis, sed à menstrui aut hæmorrhoidalis sanguinis in pulmonem reflui impetu & morâ oritur, corticem Peruvianum adhiberi & posse & debere, non est quod demonstramus. Res ipsa loquitur. Tussim quod spectat, est certè quidem Tussis pulmonum morbus; at in sanandâ tamen illâ tussi, quæ à mensium defectu pendet, menses moventia medicamina, atque adeò, præstantissimum inter illa, corticem Peruvianum plurimum posse, si sapias, non ibis inficias. Aliundè verò est ubi in stomacho fomitem ita habeat, quæ pulmones anhelos exercet tussis importunissima, ut non nisi purgantibus stomachicisque medicaminibus radicitus curetur. Quidni & *Kinæ Kinæ* stoma-

chicorum remediorum principi, aut soli, aut purgantibus commisto, cederet? Nec illud ægrè concesserimus, exquisitæ & vigenti Peripneumoniæ, quæ Pulmonis ipsius inflammatio est, benè cum cortice Peruviano non convenire. At nec tu, si suffragantem habere velis experientiam, negaveris, in hac remittente vel intermittente Febre, quæ Peripneumoniæ aliquando succedit, & Empyema vel Pulmonis exulcerationem comitatur, corticem Peruvianum, nec semel, nec sine successu fuisse usurpatum. Ac ne Phthisicis quidem saluberrimo hoc cortice ita interdictum volumus, ut eos aut non laudemus, aut non imitemur expertissimos medicos, qui pessimâ & insanabili Tabæ laborantibus, sive firmando stomacho & juvandæ alimentorum cotioni, sive huic minuendæ, quæ non rarò post assumptum cibum increbrescit, febriculæ corticis Peruviani tantillum, identidemque indulgere non dubitant, congruis morbo remediis mixtum atque temperatum. Nec ii non audebunt, extinctâ propè declinantis Peripneumoniæ inflammatione, Kinam Kinam, ægro, si res ita postulaverit, propinare, qui, flammante eodem morbo, conflatum è *Regulini Antimonii* partibus, sulphure & sale *alkali* acerrimo *Kermes* minerale, calidissimum sanè igneumque medicamentum, sic suadente tamen, magistrâ rerum experientiâ, votisque respondente successu, præscribere ægris non metuunt. De Hæmoptysi, quæstio facilè dirimetur, si morbi duplicem esse causam perpenderit. Aliam nimirum Hæmoptysim facit sanguis acrior solutiorque, aliam crassior & grumosior. Hic tubulos suos mole rumpit & impetu; ille, vasa, acrimoniâ erodente lacerat. In primâ Hæmoptyseos specie curandâ Kinæ Kinæ usum damnamus, proscribimus: in secundâ, laudamus, præscribimus, Phlebotomiâque præparato ritè ægro, præmissisque convenientibus remediis, utilissimum judicamus atque commendamus. Hypothesi negas fidem? Credas observationi. Brevis erit, & ad veritatis amussim exacta narratio. Sæviebat, quatuor sunt anni, Febris *Catarrhalis* species quædam Pleuritidis modò, modò Peripneumoniæ æmula. A rigore & horrore Tragædiam, ut ferè solet in acutis, ordiebatur morbus. Mox ingruiebant calor ardens, ægra respiratio, vehemens & crebra tussis, non rarus aut levis lateris dolor, glutinosum, nec expers sanguinis sputum, cæteraque Pulmonis inflammati signa & mala. Ab acuto, qui sæpè ægrum pungebat, lateris dolore, Pleuritidem, à sputo, sanguine & lymphâ tenaci commisto, quod inter dolores & anhelitus emoliebatur æger, Peripneumoniâ, ab utroque conjunctim ingruente symptomate, quod non rarum, Plevro-Peripneumoniâ dixisses. Recrudescabant mala hæc, reduce singulis diebus, statisque nonnunquam horis, Paroxysmo, decedente remittebant. Redituræ febris accessionem rigor rarus præcurrebat, sæpè nullus: isque, ubi fortè aderat, levis adeò, ut nisi iterum atque iterum & enixè interrogatus æger, de eo non fuerit conquestus. His fugandis symptomatis frustra fuerant oleosa, amygdalata, incrassantia Bechica medicamina, & quidquid emollientis atque anodynî ministrat Medicinæ Pharmacia. Ipsa, etiam oëties & ampliùs celebrata, venæ sectio non tam retundere febris impetum, morbi que exarmare ferociam, quàm ægrotantis vires imminuere & exhaurire videbatur. Donec tandem parum felix remediorum successus, præsertimque periodicè recurrens febris accessus de propinando Peruviani corticis decocto nos admonuerit. Dissuadente igitur primo licet aspectu morbi, renuente ægro, reclamantibusque astantibus, Kinam Kinam ausi sumus adhibere. Nec nos audaciæ pœnituit. Beneficentissimi nimirum corticis in continuâ hujus febris remissione, singulo quoque die usurpati auxilio, brevè mutari rerum facies, temperari paulatim calor, tussis imminui & evanescere, lateris pungens dolor hebescere & sedari, cruentata sputa concoqui & albescere, morbus gradatim decrescere, nullus non æger convalescere. Hanc autem insoliti & contumacis, Pulmonemque obsidentis, morbi sanationem, quis Kinæ Kinæ, Polychresti sanè medicaminis, attenuanti & roboranti,

ipsisque etiam Pulmonibus, nec rarò, salutiferæ, virtuti acceptam referri debere, nisi vecors & amens, non confitebitur?

Ergo Pulmonum etiam in morbis suis est Kinæ Kinæ locus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Florentius Bellot,
Scholarum Professor.

M. Henricus-Franciscus Bourdelin, Rei Herbariæ Professor designatus.

M. Ludovicus de Santeul.

M. Joannes de Dieß.

M. Antonius-Joannes Daval,

M. Emmanuel-Mauritius du Verney.

M. Josephus de Jussieu, è Regiâ Scientiarum Academiâ, & botanices in horto Regio Professor.

M. Robertus-Hubertus Linguet.

M. Ludovicus-Claudius Bourdelin, Antiquus Facultatis Decanus, Regiæ scientiarum Academiæ Socius, in Horto Regio Chimiæ Professor, & Chirurgiæ Professor designatus, Altiſ Præſes.

Proponebat Parisiis, PETRUS - ISAAC POISSONNIER;
Divionæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,
A. R. S. H. 1744. à sextâ ad meridiem,

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1744.